

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0768

0766

0772

0762

0777

0757

0817

0717

0867

0667

0267

Ende

Anfang

195

portam negotiatorum in agro fullonis, ubi sunt ruinae grandes,  
quas dicunt esse reliquias turris David. Et si hodie ibi esset  
fortalitium, tota civitas arceri posset ex eo. Ego tamen credo,  
quod ante tempora Helii Hadriani imperatoris, qui civitatem  
ampliavit, nihil ibi fuerit, sed post civitatis extensionem for-  
talitium fuit ibi constructum, et prius destructum. Igitur,  
dum arcem vidissimus, transivimus ad locum nostrum.

In occasu solis cum quibusdam fratribus chorum antiquae  
ecclesiae Syon adscendi, de quo dixi fol. 98 B., et singularem  
altitudinem montis Syon p[re]e cunctis in circuitu montibus  
consideravi. Nam montana Arabiae trans Jordanem et mare  
mortuum, quae tam valde alta sunt, humilia videntur respectu  
montis Syon. Sol enim oriens primo caput montis Syon in-  
cendit, a quo eo occidente ultimo radios retrahit. Hoc saepe  
consideravi. Nam a monte Syon est descensus continuus,  
quasi per quinque milliaria teutonica, usque ad mare mortuum  
contra orientem. Similiter contra occidentem est descensus  
ejus multorum milliariorum usque in Palaestinam. Et ita  
mons Syon cunctis montibus p[re]eeminet, ut habetur supra  
fol. 108 A.

Lapillorum collectio et spinarum de locis sanctis pro  
devotione.

Vicesima secunda die mane ante solis ortum surrexi,  
dictoque Officio clam solus de Conventu exivi et ad loca  
sancta montis Syon, vallis Josaphat et montis Oliveti evagatus  
sum et de singulis locis lapillos collegi et signatos sacco,  
quem mecum ad hoc tuleram, (B) imposui, spinas etiam  
de sepibus crescentes in montis Oliveti clivo et montis Syon  
tuli, et ramusculos colligavi, complexens coronam spineam eo  
modo, et de quibus spinis credo, Dominum Jesum coronatum  
fuisse. De hoc vide fol. 113 A. Per totum illum diem labo-  
ravi in collectione lapidum et in excisione spinarum, et com-  
paravi sportam oblongam, ad quam et ramusculos spinarum  
posui et lapillos collectos de locis sanctis, mecumque Ulmam  
usque advlexi. Nec videatur hoc alieni inutile vel puerile,  
quod lapillos mecum tuli de locis sanctis ad terras nostras,

13 \*

